

**DISSERTATIO**

**INAUGURALIS MEDICA**

**SISTENS**

**DIAGNOSIM**

**MORBORUM**

**SYSTEMATIS UROPOËTICI;**

**QUAM**

**NUTU ET AUCTORITATE**

**MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS ET DIRECTORIS,**

**SPECTABILIS DOMINI DECANI,**

**NEC NON**

**CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM,**

**PRO**

**DOCTORIS MEDICINAE LAUREA**

**RITE OBTINENDA**

**IN ALMA ET CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM  
UNIVERSITATE**

**P E S T I E N S I**

**PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT:**

*Carolus Ludovicus Ballus,*

*Nobilis Hungarus Gömöriensis.*

**Theses adnexae publice defendentur in Palatio Regiae  
Universitatis die                      Octobris 1834.**

---

**P E S T I N I,**

**TYPIS TRATTNER-KÁROLYIANIS.**

**Aequè magnus Medicus est, qui incurabilem morbum  
distinguere potuit, quam qui sanabilem tollere  
valuit.**

**Illustris. Magni Boerhavi Commentator**  
§. 125.

# I. Diagnosis Morborum Renum.

## A., Nephralgia.

**E**st dolor fixus in Lumbis cum Urinae mutatione notabili, saepe cum dysuria, nausea, et singultu. Differt

a) a dolore colico, qui non adeo profundus est, et saepe sine omni mutatione Urinarum.

b) ab Ischiadico dolore, qui profundior est cum immobilitate extremitatum inferiorum, et passim periodicus sine notabili Urinae mutatione.

## S p e c i e s :

1.) Inflammatoria, suppuratoria, Scirrhusa, Calculosa, de his vide suos Titulos.

2.) Hysterica Sydenhami (a.) quae hystericas invadit, quandoque, unde vomituritio immanis cum dolore lumborum per Ureteri sdescensum se extendens, et calculum Renum mentiens, uno eodemque tenore miseras affligens, adeo, ut quandoque eas ad plures ducat; ab Enematis aliisque Medicamentis Lythontripticis, et Calculo exturbando dicatis, exoperatur.

3.) Arthritica (h.) a miasmate. Arthritico perioestium Lumbarium Vertebrarum vellicante; differt

---

a) de Colica biliosa Cap. VII. pag. 132.

b) Musgrav. de Arthritide Cap. XVI. pag. 154.

ab aliis speciebus eo, quod podagricos tunc afficiat, cum dolores extremorum silent, et restituito dolore in Articulis, evanescit.

4.) **Rheumatica**, Lumbago Rheumatica Sydenhami \*) est immanis dolor, idemque fixus circa Lumborum Regionem, ad os sacrum quandoque protensus, paroxysmum Nephriticum mentiens, nisi quod aeger non vomituriat; nam praeter dolorem atrocissimum, et vix ferendum circa ipsos Renes, aliquando et Ureteres per omnem eorum ductum ad vesicam usque, eodem licet mitiori, tentantur adeo, ut aeger procumbere nequeat, sed vel e lecto exsilit, vel super eodem erectus sedet, corpore interim perpetua agitatione, nunc versus anteriora, nunc posteriora inclinato, reductoque.

5.) **Haemorrhoidalis**, a sanguine copiosius in Renes affluente proveniens; noscitur ex suppressione fluxus haemorrhoidalis, Catamenialis, et caeterarum evacuationum; dolores sunt magis exteri, et ad lumbaginem magis accedunt, crescentes a decubitu in lecto calidiori.

6.) **Febricosa\*\*)**, est species dirissima, cum Urina rubra, dolore atroci Renum, vomitione, algore extremorum, lypothymia, aegros in summum vitae discrimen conjiciens, ab intermittentis febris larvatao veneno dependens.

7.) **Vermiosa**, dum vermes motu suo vel rodendo has partes irritant.

8. **Gravidarum**, noscitur, si dolor in Lumbis ad vesicam protendatur, Urinae difficilius fluant, cum dysuria, vel mingendi cupiditate frequenti, Urina aquosa et pauca.

---

\*) de Rheumatismo Cap. V. pag. 170.

\*\*) Merton. Pyratol: histor. XXVIII. pag. 101.

## B) N e p h r i t i s.

Est inflammatio Renum. Cognoscitur ex febre acuta continua, dolore inflammatorio ardente, pungente in regione Renum; Urina pauca est, saepe parva copia emissa, admodum rubra et flammea, vel in summo malo aquosa \*) stupor cruris, dolor inguinis vel testis, quae a Boerhavio \*\*) inter systemata Nephritidis inflammatoriae relata sunt, Nephritidem Calculosam potius comitantur. Differt:

a) a doloribus Colicis et Iliacis, per dolorem ardentem loci, ubi Renes siti sunt, una cum Urinae difficultate, uti etiam, quod alvus in Nephritide raro adeo pertinaciter clausa sit, sed Clysmatibus emollientibus obediatur facile.

b) a Lumbagine inflammatoria, quod aeger antrosum flexus erigat truncum sine notabili dolore, in Lumbagine cum atroci; quod Urinae multum mutatae prodeant, in Lumbagine non item.

c) a dolore Renum hystericas quandoque invadente, qui paroxysmum Nephriticum mentitur, et exercitatissimis etiam incautis, facile imponit, per symptomata hystericis malis propria.

## S p e c i e s:

1.) Vera, quae a febre ortum ducit, et non in qua febris dolori a calculo moto excitato supervenit.

2.) Plethorica, a majori copia sanguinis ad Renes determinata; noscitur si, v. g. plethoricus diu et valide equitet, vel curru per vias difficiles et strata arenosa celeriter vehatur, et inde symptomata Nephritidis sequantur.

\*) Boerhav: in aphor: de cognosc. et cur. morb. §. 903.

\*\*) Loco cit.

3.) a haemorrhoidibus suppressis, a Galeno observatum. \*)

4.) Calculosa, vide Calculum Ureterem.

5.) Spasmodica, ubi ductus Uriniferi in Renibus adeo stringuntur, ut vel nihil omnino, vel solum tenuissimam sanguinis partem tantum transmittant. —

6.) a diurecticis acribus, et Cantharibus \*\*), quantum peculiari indole sua, et acrimonia, in has prae aliis partibus corporis, agunt.

7.) Traumatica, a causa vulnerante, contusione etc. ex Anamnesi rite instituta, facile patebit.

## C.) Abscessus.

Cognoscitur, si dolores cum interpolato horrore inordinatim fieri videantur, et febres absque ullo ordine; tam pronum in ventrem decumbere jussum, atque interdum in alterum latus, ut sublimis sit affectae partis situs, laborantem interroga, num circa Renum dolentem veluti suspensi cuiusdam ponderis sensum percipiat. Etenim cum haec ipsi acciderint, abscessum colligi conjicere oportet. \*\*\*) Renibus suppuratis stranguriam adesse dixit Hippocrates.

## Species:

1.) Abscessus in pelvim ruptus: cognoscitur, si pus per Ureteres delapsum cum Urina exeat,

---

\*) Comment. 3. in Lib. Hippocr. de aliment.

\*\*) Illustr. van Svieten §. 991.

\*\*\*) Galenus de Locis affectis Libr. VI. Cap. III. pag. 510.

fere semper foetidum ideo, quod in tali loco collectum fuerit, ubi Urina facile putrescens colligitur, ut ex signis Nephritidis inflammatoriae puris mictionem praegresae. Distinguitur a pure alinnde delato, quod accurrate Urinao permistum est, et nonnisi sensim ad fundum vasis secedit, cum vasorum et pulmonis actione sanguini missum fuerit, et per Renales fistulas simul cum Urina secretum; differt etiam a pure Vesicae, quod longe tenacius est, et glutinis instar ad fundum Vasis secedit, ubi Renum pus utplurimum tenue est; praeterea in abscessu vesicae adnotavit Trallianus \*) veniro cum Urina ramenta foliacea; a Renibus vero suppuratis excernuntur cum Urina Carunculae parvae. \*\*)

2.) Abscessus ad exteriora protuberans, cognoscitur signis abscessus Renum communibus supra datis, in Urina nullo apparente pure, sed tumore ad spinam conspicuo. Differt a tumore Suppuratorio Musculari, quod signa Nephritidis praegressa non fuerint, nec signa secuturae inde suppurationis. —

3.) Abscessus externe circa dorsum tumorem faciens, et pus per Urinam demittens; comparet enim tumor in dextra regione Renis manifestus, unde si aperatur, copia puris prodit.

4.) Abscessus faciens sinus; siquidem versus exteriora tendat abscessus, sed is antequam omnia elevata sint, rumpitur, hinc pus effusum sinus facit saepe incurabiles, hujus exitus Diagnosis ex Hippocrate desumi posse videtur. \*\*\*)

5.) Abscessus per alvum suum pus evacuans, dum Ren Colo praeternaturaliter iunctus est,

\*) Libr. IX. Cap. V. pag. 513.

\*\*) Hippocrat. Aphoris. 76. Sect. 10.

\*\*\*), Aph r 36. Sect. 14.

pus Colon perrodere potest viamque per alvum invenire; alvus haec purulenta cognoscitur Renis affecti ac suppurati signis.

G) Abscessus consumptionem Renum causans, si nempe diu relinquatur, ut consumat Renes, evacuatio puris nimis diuturna contigat, oritur hinc plerumque tabes Renalis.

## D.) Scirrhus Renum.

Cognoscitur paralisi, claudicatione suppositi Crucis. Paralisi perfectam a Renibus tumentibus induci posse in dubium vocat Ill. Commentator \*) ex eo, quod magni trunci nervosi ex foraminibus ossis sacri emergentes, tali situ locentur, ut vix a renibus etiam tumidissimis comprimi possint; ut potius stupor et impotentia quaedam observentur.

## II. Morbi Vesicae Urinariae.

### A) Cystitis.

**E**st inflammatio Vesicae. Cognoscitur intumescencia ovali in pelvi cum tensione, dolore tactum non tolerante; saepe rubore; adest ardor urinae, eius suppressio, ob compressum vicinum intestinum Rectum frequentes desidendi conatus, vigiliae, sitis, delirium. \*\*) Distingui-

\*) Boerhave in Aphor. 1003.

\*\*) River: prax. Medic. L. XIII pag. 188.



fur ab inflammatione uteri, et ab inflammatione intestini recti sequentibus: in priori adest dolor initio tensivus et gravativus, deinde ardens circa genitalia ab immissione digiti in vaginam, auctus, orificium uteri retractum est, vagina rubet, et eius vasa sanguifera turgent, fluxus menstruus et Lochiorum suppressus est: in posteriori autem si absit tumor ovalis in pelvi, dolor ad attactum vix exacerbat.

## S p e c i e s:

1.) **Levi or** \*), superficialis magis, spuria quasi, familiaris quam maxime.

2.) **Gravi or**, haec profundior est, et atrociora habet symptomata inflammationis, ac perquam facile in exulcerationem, suppurationem, vel sphacelum funestum plane transit.

3.) a **suppressis evacuationibus**, haemorrhoidibus nempe vel mensibus; debet enim tunc sanguis maiori impetu ruere ad vasa vesicae; hinc facile inflammationis causis instructus, Cystitidis possibilitatem perspiciet.

4.) a **Bleorrhoea** male tractata, per adstringentia nempe aut acria pellentia.

5.) a **Cantharidibus**, si ad Venerem extimulandam, aut per infortunium ea, dosi assumptae sint, ut hae partes inflammari possent. \*\*)

6.) **Traumatica**, ab ictu, vulnere, compressione, calculo; operatione calculi etc.

---

\*) Hoffmann Tom. II. Cap. IX. pag. 152.

\*\*) C l. Sauvages Nosol. Method. Part. I. Tom. 2.

## B) Ulcus Vesicae.

Cognoscitur o pure crasso, graveolente, in urina cito subsidente cum squammulis reddito, dysuria, et indesinente circa vesicam, pubem, et perinaeum cruciatu. Urina utplurimum crassa, et in ulcere diuturno pituitam calculosorum referens. \*) Differt ab Ulcere Renum signis iam supra dictis, et ab Ulcere Urethrae, in quo pus vel sanies Urinam praevenit, vel statim in primo exitu apparet, vel etiam sine Urina effluit.

### S p e c i e s :

1.) Ab abscessu rupto, post inflammationem nato; cognoscitur e signis Cystitidis praegressis, atque iis, quibus transitum inflammationis in suppurationem abire noscimus.

2.) Ab acri sanguine, tenui acri mictum cruentum causante; cognoscitur signis infra de mictu cruento recensendis.

3.) A Calculo exulcerante, hujus signis noscenda.

4.) In fundo, si dolor circa pubem percipitur.

5.) Ad Collum, si tempore mictionis dolor magis auctus sit, et imprimis ubi emingero incipiunt et desinunt.

## C) Scabies Vesicae.

Morbus hic jam ab Hippocrate observatus, et a Coelio Aureliano nomine Phthyriasis insignitus, a nonnullis etiam Pytiriasis vocatus, est enim Urina

---

\*) River. Prax Libr. IV Cap. 5.

crassa et furfuribus mixta, quibus forte dolor, pruritus Vesicae, gravisque ardor Urinae jungi possent. Cum autem Phthyriasis rarissime inter mala occurrat, hinc morbis ordinariis Vesicae adnumerari non meretur. Differt tamen ab Urina furfuracea in febribus observanda, in febribus enim, ubi Urina furfuracea mittitur, partes hae crassae non a Vesicae substantia, aut a systemate Renali, sed a toto systemate vasorum sunt.

## Vitia Mictionis.

### A) Enuresis Stillicidium vel Incontinentia Urinae

Est ubi lotium in Vesicae cavo pro necessitate retineri nequit, sed sensim sine nixu sponte jugi stillicidio de Urethra elabitur. Differt a Diabete, quod non major Urinae sit copia, nec diversus a sana color; a Dysuria, quod ardore et stimulo fiat. Ab involuntaria mictione agonisantium vero et epilepticorum, quod hoc sit symptoma fugax, non autem morbus.

### Species :

1.) Inscia, quae sine sensu habetur; supponit facultatem, qua retinetur Urina, plane abolitam, atque adeo impotentiam fibrarum, quibus ostium Vesicae comprimitur, est haec quandoque in morbis acutis symptoma periculosissimum, saepe lethale, nervorum impotentiam supponens.

2.) Cum scienti quidem, at invito Lottium expellitur, nec pro necessitate retineri, cum urget, potest; frequens sexui sequiori, pueris, senibus, a vomitu, risu etc.

3.) Infantum, est minctio, quae tum interdum ob negligentiam, tum nocte inter dormiendum accidit junioribus.

4.) Paralyticorum, a paralyti sphincteris Vesicae dependens, accidit apoplecticis, hemiplegicis, ubi nervi ossis sacri Lumborumve fuere compressi, contusi, laesi, aut in cerebro ipso affecti; per continuum Urinae stillicidium sine sensu differt ab aliis speciebus, in quibus per intervalla tantum Urina emittitur.

5.) A Luxatione spinae dorsii nata \*).

6.) A discissis, distractis vel omnimodo destructis fibris sphincteris, quod in veterum Lythotomorum calculum secandi methodo frequens videre fuit.

7.) A partu difficili, imprimis si infans magnus sit, et magnum caput habeat, hic enim vagina dilatatur et distrahitur, roborque suum amittit, quod tamen malum post partum, restituto fibris pristino robore, sensim evanescit.

8.) Ab inflammatione in his partibus in suppurationem vel gangraenam terminata; si nempe caput infantis longiori tempore haereat in pelvis orificio, partes vicinae comprimuntur, gangrenosae fiunt.

9.) Catamentialis, seu mense quovis revertens, sunt enim casus rari. Sauvages adfert exemplum in Nosol. Meth. Tom. III. p. 2.

10.) Ab Urina copiosiore, valde aquosa, aut praetermodum acri, invito, licet

---

\*) Boerhavi Praelect. Academic. Tom. VI. pag. 213.

scienti lotium expellitur, nec pro necessitate retineri, dum urget, potest.

## B) Diabetes.

Est immodicum Urinae profluvium. Dicitur Diabetes a Siphone mechanico ob celerem urinae transitum, seu traductionem, sicut aqua per Siphonem trajicitur. Galenus vocat diarrhaeam urinosam \*), vel hydropem ad matulam \*\*), ab aliis vocatur Dipsacus a dipsia, siti, a Latinis nondum peculiare nomen accepit, Celsus \*\*\*) nimiam urinae profusionem vocat.

### Species :

1.) Spuria, est tenuis aqueae urinae supra potionum modum emissio, est minime periculosa, historiae enim docent homines hanc diu tolerasse absque magna noxa.

2.) Diabetes perfectus Aretaei, dum nempe non cum intermissione Lotium redditur, sed indesinens fit profusio, unde velox colliquatio, et festina mors venit. Rarissime tamen hoc gradu observatur. Minctio copiosior est quam potus, sitis ingens, cum saliva spumosa, viscida, fastidium, praecordia gravia; crescente morbo calor mordax, in visceribus tabes.

3.) Anglicus seu Mellitus: cognoscitur urina odoris, saporis, et coloris mellei; differt a Diabete Aretaei, quod urinae sint dulces et mellitae vel limpidae, ut referunt angli, vel subturbidae, ut apud nos.

---

\*) L. de crisibus.

\*\*) Idem Libr. VJ. de locis affectis,

\*\*\*) Libr. IV. cap. 20. pag. 234.

4.) *Hystericus Sydenhami*, dum mulieres multam limpidae urinae copiam fundunt, quod hystericis paroxismis obnoxiiis, familiare est.

5.) *Arthriticus*, de quo Sydenham \*).

6.) *Febricosus*, in tertiana et quartana nonnunquam accidit et si perquam raro, ut senes, qui diu hac feбри antea laborabant, ac interea venaesectionibus et Catharticis imperite fuerint mulctati, in Diabetem incidant, etiam febre jam perfecte fugata.

7.) A frequenti usu Juniperi \*\*) lethalis Diabetes inducta.

## C) Haematuria seu Minctus cruentus.

Est sanguinis cum vel sine urina evacuatio ex vesica, Renibus, vel Urethra, qui locus ex majori emissione sanguinis cum urina et ex symptomatibus peculiaribus aliquando determinari potest. Differt a Stillicidio sanguinis ex praeputio, quod Hoffmannus \*\*\*) in plethoricis et senio proximis notavit, in quo sanguis ex praeputio guttatim stillat, et quidem continuo, etiamsi urina non reddatur, ubi in minctu cruento nunquam nisi cum urina, aut mingendi conatu, prolicitur; differt porro ab Urina rubra ratione sedimenti, quod non est grumosum in minctu cruento; praeterea in minctu cruento urina limpida cruori supernatat, quod hic non fit, et linteum album inmersum, rubedine sanguinea tingitur, quod non observatur in urina rubra.

---

\*) De Podagra pag. 433.

\*\*) Prof. Crantz Mat. Med. Tom. I. pag. 129.

\*\*\*) Tom. I. pag. 206.

## Species :

1.) **Ex renibus prodiens**, noscitur si sanguis sincerus confertim, repente, et sine dolore mingatur.

2.) **Ex Vesica veniens**, obscuri et nigricantis coloris est cum vel sine materia purulenta; adest dolor exquisitus et ardor in pube sub minctione, quae in priori specie non observantur.

3.) **Ex Ureteribus** a Calculo aspero laesis manantem, dolor circa lumbos, ad Illia auctus, difficilis et sabulosa minctio, aliaque calculi in Ureteribus haerentis, suo loco enumeranda signa manifestum reddunt.

4.) **Ex Urethra**, si sanguis non mingatur, sed ut pus in blenorrhoea stillatim continuo ex Urethra effluat.

5.) **Spontanea**, plethorica a sanguine in Renibus congesto et per naturam evacuato, familiaris plethoricis, senibus, nullo dolore Renum, aut Vesicae praegresso.

6.) **Violenta** ex praegressa longiori equitatione, vectione, venatione, animi affectu, ab usu Cantharidum vel aliorum diureticorum magis activorum, lapsu ex alto, ictibus lumbos contundentibus, ortum ducit, praecedunt lumbago, dolor vesicae. Saepe occurrit etiam infantibus a fasciis et vestibus arctioribus natam.

7.) **Calculosa**, ex signis calculi Renum vel vesicae patescit.

8.) **Critica**, praepremis si haemorhoidalis sit et materiam atrabiliarem educat, ita Icterus, Lienem tumidum, imo et hydropem sanatum fuisse.

9.) **A Diabrosi** in variolis confluentibus, scorbuto et morbis malignis pessimum symptoma, acrimoniam atque dissolutionem humorum denotans.

10.) Ex Ronum ulcere, floccis purulentis, urinae sangvinolentae mixtis, et signis praegressae nephritidis suppuratae dignoscitur.

11.) Cantatorum \*), saepe post adstrictionem nimiam urina cruenta redditur.

## D) Dysuria.

Est urinae molesta et cum dolore ac ardore excretio ita, ut aegri non raro ejulare cogantur. Differt ab ardenti mictu blenorhaeam stipante, qui mictionem puris, aut etiam seminis comitem habet.

### Species :

1.) Stranguria, malum tenesmo simile, est assidua ad mingendum proritatio et conatus, quo tamen parum modo lotii et guttatim plerumque cum ardoris sensu exprimitur.

2.) Dysuria sine dolore, ubi causa mali debetur aut spissitudini materiae, quae expellitur, mucosae, purulentae, cruentae, aut undecunque natae meatus angustiae, aut flaccidae, rigidaeve virium expellentium inertiae.

3.) Hysterica, saepe calculum mentitur, adeo quidem, ut plurima symptomata de praesentia ejus convincere videantur, licet nullus adsit.

4.) Calculosa, ubi calculus inter mingendum vesicae cervici alliditur; noscitur ex signis calculi.

5.) Herpetica \*), ex herpetibus cutaneis repressis, aut vaginam etiam infestantibus, ex muco urinae furfuraceo, cognoscenda.

---

\*) Ramazini de morb. artific. Cap. 37. pag. 624.

\*\*) Sauvages Tom. ult. pag. 191.



6.) **Venerena**, quae multiplex potest esse, vel est sola materies acris exulcerans in causa, vel phlegmone in prostaticis ac vesiculis seminalibus, vel a blenorrrhaea suppressa, vel ab Urethra per cicatrices, carunculas angustata etc. quae varietates diligentiori examine detegi possunt.

7.) **Ab urina acris**, tota enim Urethra mucosa lento liquido oblitur, quod simul ac abest, urinam excernentes, ardorem percipimus, illo loco ubi mucus hic deest.

8.) **A Venenis**, maximo a Cantharidibus tam externe quam interne corpori applicitis: ab usu interno hoc fieri neminem fugit; ab externe applicitis, multa exempla confirmant, ubi quis in sacco gestans Cantharides Dysuriam et Stranguriam accepit.

9.) **Primaria**, est ea species, quae a victu acriori, salso, abusu liquorum fermentatorum, diureticorum, ab aestatis, fervore, ab exercitiis immodicis, similibusque causis urinae acredinem inducentibus oritur.

10.) **Gravidarum**, quae his accidit vel toto graviditatis decursu, vel tantum ultimo mense.

11.) **Neonympharum Delii**, haec recens nuptas forti viro junctas adoritur

12.) **Ab utero inflammato, scirrroso**, cognoscitur hujus signis.

13.) **A Prostata justo majore atque indurata** \*).

14.) **A Minctu cruento**, si nimirum sanguis concretus urinae iter intercipiat.

15.) **Haemorrhoidalis**, est ea dysuriae species, quae a mariscis tumidis potissimumque luxatis fovetur: dum mariscae foras protuberant ex ano, et Nervi ad Urethram pertingentes dolorifice distrahuntur, atque urina cum ardore incredibili excernitur.

---

\* ) Morgagni in advers. Anat. 3. pag. 83.

16.) *Senum*, ob vesicae debilitatem, et musculorum urinam exprimentium paralytim, imparium jam expellendae urinae, ita ut ultimae lotii guttae acerrimae fiant, quae digito, ad perinaeum posito, exprimi debent.

17.) *Arsura*, est dysuria ardens, quae Sec. XIV. Anglos affligebat, ubi *Lepra* grassaret.

## E) Ischuria.

Est suppressio urinae vel quod non secernatur, vel quod ejus evacuatio impediatur. Duas habet species:

1.) *Veram*, quae et *Ischuria vesicae* dicitur, ubi vesica urinam continens nihil demittit. Cognoscitur sensu ponderis in hypogastrio, pube, perinaeo. Urinae stimulo cum ejusdem fundendae cupiditate, et irritis ad vesicam exonerandam conatibus, tumore insolito, digito in anum vel partes genitales faemineas inmisso, detegendo, ac effluxu lotii ad Catheterem inmissum.

2.) *Notham*, in qua lotium secerni nequit, quia nihil ejus intra vesicam confluit, vitio Renum aut Ureterum, quod vel secretionem suspendit, vel ne ad vesicam perveniat, impedit. Adest dolor lumborum ut plurimum punctorius vel gravativus, vesicae contractio, digito in anum inmisso cognoscenda, nullus effluxus lotii ad inductum Catheterem. Utraque iterum plures alias species habet, et quidem: spuria est vel Renalis, vel Ureterica.

### Ad Renalem sequentes referri possunt.

a) *A Renum inflammatione*; ex dolore potissimum ac ardore ad Regionem Renum cum febris acuta, cibi fastidio, vomitu et aliis Nephritidis signis, perspicitur. Rara haec species, est periculi tamen ple-

nissima, mortem nunc citissimam, nunc lentam quidem ac minime declinandam de facili inferens.

b) *Purulenta*, signis Nephritidis suppuratoriae praegressis cognoscenda.

c) *A Calculo Renum*, ex signis praesentis calculi renalis, suo loco recensendis, manifesta erit.

d) *A Plethora*, dum sanguine turgidae arteriae, canales uriniferos comprimunt.

e) *Spasmodica*, ex consensu, dolore, passione hysterica etc. Cognoscitur morbo spasmodico vel valde dolorifico praesente, absentibus aliarum specierum signis.

f) *Verminosa*, ex solo eventu cognoscenda.

g) *Pituitosa*, ex praegressis morbis mucosis, evacuationibus similibus; urina muco referta, apyrexia, absentia signorum ischuriam inflammatoriam vel calculosam testantium, dignoscitur.

h) *Grumosa*, dolore in lumbis, haematuria praevia, et causis v. g. percussione, lapsu, equitatione etc. praegressis, cognoscenda.

i) *Ab aliis excretionibus auctis*, Diarrhaea, sudore, facilis cognitu est.

k) *Lunatica*, exempla sunt rarissima.

**Ad Ischuriam Uretericam quae vel est Vesicalis vel Urethrae; sequentes species referri possunt:**

a) *Ureterica*, ab inflammatione, suppuratione, spasmo, calculo etc. dolore, gravitate ad regionem Ureterum, cum ambulatione vitiosa.

b) *Cystica*, ab inflammatione Vesicae, signis cystitidis cognoscenda.

c) *A Calculo vesicae*, signa calculi vesicae in ejus pe.tractatione enumeranda.

d) A Spasmo sphincteris natam, perinaeum durum, dolor ad Vesicae collum continuus sine minctione, ad Catheteris inmissionem auctus, intestinum rectum dolens stranguriam manifestant.

e) A Vesicae paralyysi ex causis, ictu nempe vel lapsu in vertebrae vel harum luxatione, mora in aqua frigidiori; abest dolor et sensus ab Urina in vesica accumulata, distenta, excitandus: minctus sequitur a valida contractione diaphragmatis in tussi.

f) A hernia Vesicae, hujus signis detegitur.

g) Grumosa, a gravis post haematuriam relictis. Cognoscitur haec praegressa cito et imprudenter suppressa.

h) Ab Utero affecto, gravido, hydropico, scirrhuso.

i) A Luxatione ossis femoris, introrsum collum praementis.

k) A diuturniori cohibitione lotii, quatenus vis infertur musculosae fabricae vesicae et paralytica redditur.

l) Ab intestino recto affecto, inflammato, tumente, signis propriis dignoscenda.

m) A Calculo, ejus signa suo loco.

n) A Carunculis, exploratione detegendis.

o) A rupta Urethrae in scrotum patente, ut in blenorhaea maligna accidere solet, scrotum tunc tumet, et hoc presso urina prodit.

p) A penis intra corpus retractione; Fridericus Hoffmannus \*) sequentem casum narrat; vir, inquit, triginta annorum, litterarum amantissimus, alvi per multos annos tardioris, de insigni artuum, pedum maxime, frigore per aestatem etiam affligente atque per hyemem nonnisi fortiori corporis

\*) Tom. IV. Consult. 105.

motu depelendo, anno fere integro conquestus, deinceps observabat, quodsi hyemali tempore in frigidiori loco diu commoraretur, aut si crebrius ipsi descenderet alvus, ob collum intra corpus retractum, ac fere prorsus reconditum, urinam non prius emitte-  
 tere valeret, quam donec post aliquam corporis exercitationem, naturalem situm penis recuperasset.

q) a Phymosi, paraphymosi, facile cognoscitur.

r) ab inflammatione, gangraena, tumore totius urethrae, ut in blenorhaea quandoque accidit.

s) a Perinaeo tumente, inflammato, urethram premente.

## F.) Calculus Systematis Urinalis.

Calculus est corpus durum, solidum, figuratum, plerumque lapideum, friabile, varii coloris in cavis vasorum et ex humoribus intra haec vasa contentis, natum: non solubile in ullo humore in corpore deprehenso et diversum ab omni specie morborum coaguli in corpore unquam inventi.

### S p e c i e s :

1.) Renalis cognoscitur e dolore in lumbis fixo, stabili, nisi per illa ad pelvim vel testes excurrat, saepius gravativo, interdum acutissimo, et infixi aculei more pungent; qui sub decubitu in partem affectam minor, in oppositam augescens, post assumtum cibum et motum corporis exasperatus, jejuno ventriculo et quiete remittens; testes retracti, femoris stupor, trunci incurvatio, anorexia, flatulentia, nausea,

vomitus, alvi adstrictio, dysuria, stranguria frequenter affligens, Urinae saepe cruentae, muco, membranis, floccis, sabulo, lapillis referta.

2.) Ureterum; dubia huius admodum signa sunt, adfert quidem exemplum Boerhav. in Praelect. publ. de calculo pag. 48. sic et Piso hunc morbum passus: de morbis a proluv. serosa sect. IV. Cap. II. pag. 301.

3.) Ureterum ad vesicam delapsus. Cognoscitur signis Calculi Ureterum cessantibus, et huius vel excretionem vel signis Calculi vesicae.

4.) Vesicae ex dolore ante, sub, vel post misionem Urinae percepto, Urina cruenta, aut arenosa, pallida, turbida stillicidio tantum emissa, cum sedimento mucoso, crasso multo, graveolenti fundum petenti, cognoscendus; incessus est cruribus divaricatis, ut sensus doloris fallatur frequens membri erectio etc. Quae symptomata in nonnullis omnia, pleraque aut multa in aliis adsunt; optime Cathetere et exploratione per digitum detegitur, quamvis nec haec infallibilia sint; Calculum enim vesicae ad amussim mentitur Scirhus vesicae; haeret etiam aliquando loco alieno, ut est Scrotum perinaeum, Urethra, prostatae, inguina etc. ut licet adsit, cognosci minime possit.

5.) Urethrae, signis Calculi Renum, aut vesicae praegressis dolore ad Urethram et penem, Urethrae intumescencia, imperviatione, canalis huiusce contrectatione, qua quid duri palpo obiicitur, inmissione Catheteris antequam in Vesicae collum pervenerit, corpus offendentis solidum, et si stylo ferreo percutiatur, subargatum.

---

# **T h e s e s .**

- 1. Medicamenta, quorum scopus verus in salutis re-stitutione consistit, in potentias morbificas con-vertuntur, organismo sano applicata aut in morbis perverse adhibita.**
  - 2. Variolae verae, modificatae, et Varicellae morbi sunt non identici.**
  - 3. Saepe remedium potens ipse Medicus est.**
  - 4. Mater sana nec pulchritudinem, nec sanitatem lactatione labefactat.**
  - 5. Autocratia naturae in curandis morbis omnium re-mediorum princeps, saepe unicum.**
  - 6. Ophthalmia neonatorum, ab Ophthalmia Aegyptiaca indole sua non differt.**
  - 7. Omnes morbi sunt continui vere enim intermittentes non existunt.**
  - 8. Phtysis pulmonalis non sistit morbum insanabilem.**
  - 9. Sola vis cordis in circuitum sanguinis est insufficiens.**
  - 10. Arteriarum fibrosa tunica irritabilitate gaudet ma-nifesta. -**
  - 11. Morbus syphiliticus semper communicative oritur.**
  - 12. Chirurgus simplex nisi Auspice Medico utilis.**
-

